Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Gerneri Rolfincii ... Ad Chimiam In Artis Formam Redactam Illustrandam Breves Notae

Rolfinck, Werner

Jenae, 1669

Liber I

urn:nbn:de:bsz:31-132593

Visual Library

LIBER I,

De conſtitutione chimiæ in genere, agit de prolegomenis, quæ conſtant procemio, definitione & hypotheſibus.

SUmmam chimiæ eminentiam ponderantes reipublicæ medicæ proceres anteceſſores ENCOMIA ejusdem propalare operæ duxêre pretium. Ceſpitat, *ajunt*, ſine chimiâ ars noſtra. Eâ in effœtâ hac mundi ſenectâ & hominum intemperantiâ carere non poſſumus. Sine eâ medicina exilem poſſidet majeſtatem. *Dignitas adſtruitur principiis extrinſecis.*

RATIONES adducuntur ſpecioſæ. Prima deducitur ex veritate fundatâ in ratione & experientiâ. Quæ argumenta habitum medicum in animo artificis medici habere locum teſtantur, ea confirmant etiam habitum chimiatricum. *intrinſecis.*

2. Adſeritur ejus dignitas à fine optimo, qui eſt humanum genus multis beneficiis ornare. Fraudis neſcia chimia omnia agit bonâ fide: ægros ſublevat conſiliis & auxiliis. SALUS POPULI, dicit, SUPREMA LEX ESTO. Magna ſua beneficia ſummi numinis exemplo & imitatione liberali diſpenſat manu, omnibus amica, nulli injuria, erga omnes miſericors.

3. Operationis ſubjectum artem commendat, nimirum humanum corpus, &

4. Cultorum eminentia. ROBERTUS Neapolitanus & EDUARDUS Angliæ Reges, ejus Profeſſores ſummo habuêre in pretio & familiares. Imperatoris RUDOLPHI ſacratiſſimæ memoriæ ſtudium & laboratorium notum eſt. Sereniſſimi

FRIDERICI Ducis Holsatiæ immortalis memoriæ Herois, & CHRISTIANI ALBERTI filii amor videndi Athenæos ignes toti mundo est perspectus.

5. Necessitas admirabilem reddit eam, &

6. Commodorum amplitudo amabilem.

7. Origo ipsi dat splendorem. Antiquissima est. Deus prima animæ Adami insevit fundamenta. De τῷ εἰ ἔστι non dubitandum.

Habitum talem DARI, & in intellectum humanum cadere, testatur ἀνάλυσις, ἀπὸ τῶν ἐνεργειῶν πρὸς ἕξιν *ab actionibus ad habitum* dedũctâ argumentatione.

Cultores, Ἡ εὕρεσις *inventio* prima debetur *Paracelso*, σύστασις καὶ ἑρμηνεία *constitutio & interpretatio Severino, Crollio, Guinterio Andernaco, Quercetano, Libavio, Stephano Clavio, Davissonio.* Hippocrati & Aristoteli aliqualis cognitio principiorum tribui potest.

tyrones, Οἱ μανθάνοντες εἰσαγωγουμένοι, *tyrones* ad habitum chimicum acquirendum debent esse instructi 1. *naturali* quadam propensione. 2. διδασκαλίᾳ *doctrinâ.* 3 studiis apto loco. 4 institutione à puero. 5. labore indefesso. 6. exercitatione. 7. tempore.

provecti. Οἱ δὲ προηγουμένοι *provectiores* χιμιατροὶ eò anniti debent, ut valeant autoritate, pietate, bonitate. Apertum & candidum debent habere animum, non avarum. Fortunam à Deo expectent. Non utantur solis remediis Paracelsicis, sed etiam Græcorum & Arabum. Non solùm utrisque uti, sed & componendi modum nosse, eademque dispensandi licentiam habere debent. Possessio tuetur jura medicorum. Alienatio cum consensu unanimi medicorum & sequior adjudicatio probari non potest.

Objectio Objiciunt quidam: Οὐχ οἷόν τε πάντα μόνον ἐργάζεσθαι τὸν ἰατρόν. *Impossibile est, medicum omnia solum perficere.* 2. Dissuadet evitanda in medico suspicio captati *lucri injusti.* 3. & *pharmaci imprudenter vel nocenter exhibiti.*

resolvitur. Responsio non est difficilis.

Definitio DEFINITIO τό τι εἶναι explanat.

nominalis, NOMINALIS docet, Græciam veterem vocabulum hoc ignorare. *Suidas* recentior, Arabibus posterior scribit χημεία: Usus ratione χιμιατρία dicitur.

Duplex

Duplex est vocabuli hujus acceptio. Tribuitur universali medicinæ, quam πολλοὶ θαυμάζουσιν, ὀλίγοι δ' γινώσκουσιν, & particulari.

REALIS definitio talis esse potest: Est ars corpora concreta resolvendi, & soluta coagulandi, ut purum ab impuro separetur, & medicamenta salubria, citæ, & jucundæ operationis exinde concinnentur, ad sanitatem introducendam commoda. *realis.*

Artem esse comprobatur ex hujus, quæ ipsi competit, definitione, *6. de moribus cap. 4.* propositâ. Ἡ τέχνη ἔστιν ἕξις μετὰ λόγου ἀληθοῦς ποιητική, *ars est quidam habitus rectâ cum ratione effectivus.* *Artium est ex numero.*

Censores rigidi inertiæ stigma ipsi inurere malunt. Ἡ δ' ἀτεχνία τουναντίον, μετὰ λόγου ψευδοῦς ποιητικὴ ἕξις, περὶ τὸ ἐνδεχόμενον ἄλλως ἔχειν. Hæc *philosophus lib. 6. de moribus cap. 4. Inertia è contrario habitus cum falsâ ratione effectivus, circa id, quod aliter esse atquè aliter potest.* Falsâ cum ratione plurima efficiuntur in chimiâ, & inde artis indolem exuere, inertiæ autem vestem induere, planeque negligi debere videtur. Confirmari id potest exemplo medicinarum universalium, panacearum, & particularium ☉ & ☽ potabilis, tincturæ ♂, corallorum, & aliarum, quarum manca cognitio adeoque incerta usurpatio. Cupidi discendi adsidui etiamnum sunt in his laboribus: rarò inveniunt naturam sine velo loquentem, sæpè planè tacentem. Inanis videtur opera omnis, ita ut nemo non confiteri cogatur *cum primo medicinæ parente*: Ἐγὼ μὲν ἰητρικῆς εἰς τέλος οὐκ ἀφίγμαι. *Ego ad finem artis non perveni.* *Dubitatio*

℞. Vera sunt hæc. Medicamenta plurima non possident in centro, quod promittunt in fronte. Tincturæ ☉, ☽, ♂, corallorum fallaces. Multæ compositiones aliæ ♂, mercuriales, ♃, dubiæ sunt fidei, & infirmis sæpe nituntur fundamentis & experimentis. Cespitant etiam peritissimi, nec veritatem semper ob improportionem intellectûs & objectorum in profundo delitescentium puteo adsequuntur. Ἡ κυβεία *curiositas* erroris soror multos temerario nova proponendi impetu rapit ad mendacia amplecterda. Φιλαυτία seu δοξοσοφία *amor sui, præsumtio & vanæ scientiæ persuasio* se omnia du- *resolvitur.*

dum scire multis imponit. Φιλονικία καὶ τὸ αἰὲν ἀριστεύειν καὶ ὑπείροχον ἔμμεναι ἄλλων *amor victoriæ & eminentiæ supra alios* multos præcipitat. Hinc tot dissensionum portenta. Inertia tamen arti toti imputari nequit.

Ars chimica certis nititur hypothesibus.

HYPOTHESES chimicorum TRES sunt. Dici possunt αἰτήματα POSTULATA, cùm quidam sint, qui illas negent.

PRIMÆ sunt principia τοῦ ἐπιστητοῦ seu τῆς οὐσίας *constitutionis, essentiæ, rei, quæ rem constituunt*, numero quinque: TRIA

1. nobiliora, ⊖, 🜍, ☿, DUO ignobiliora, ▽ & ▽̄. Illa magnis honorum præconiis ab iisdem indigitantur, hæc iniquis phlegmatis, terræ damnatæ, capitis mortui titulis onerantur. Notum omnibus est, phlegma & terram habere aliquem usum. Placet deliciari in affectatis nominibus. Non inferunt omnem utilis negationem aut privationem, sed comparationem. Innuere solùm volunt, priora in generationem morborum esse animosiora. Admitti possunt non ante, sed post elementa. *Nonnulli* appellant prima mista. Protestantur chimici, se non intelligere ⊖, 🜍, ☿, usualia, & tamen cùm de actuali vel potentiali inexistentiâ principiorum sermo est, de vulgaribus sæpè loquuntur autores. Sive actu statuantur inesse mistis, sive potentiâ, res eodem recidit. Curatio inde non variatur.

2. SECUNDAM hypotheseωn classem constituunt principia τῆς ἐπιστήμης *scientiæ* seu cognoscendi, quæ sunt ὅροι καὶ ἀξιώματα, *determinationes* à sensu, ratione, indeque orta fide, quam à se ipsis habent, & conclusioni adferunt. Et talia absolutè rem non constituunt, sed sunt causæ τοῦ συμπεράσματος. Consistunt in analogiâ macrocosmi & microcosmi. Admittitur analogia attributionis, non univoca, quæ est identitas οὐσιώδης, non enim verè in homine & realiter est napellus, ☍, sed similitudo solùm quædam.

3. TERTIAM classem constituunt principia CURANDI, quæ consistunt in similitudine. Admittuntur ὅμοιον καὶ ἀνόμοιον. *Similitudo* admittitur. Contrarietas non excluditur. Conciliationem præbet Galenica distinctio duplex: I. Per contraria fit curatio primò & per se, secundariò fieri potest per similia. II. medicamenta, quibus curationis opus absolvitur, semper sunt contraria facultate, potentiâ, effectu: similia esse possunt imagina,

ginatione & sensu. Contraria sunt operatione, similia possunt esse denominatione.

LIBER II,
de mediis, nimirum de operationibus in genere, & earum causis.

DElineationes sunt variæ. Vix datur perfecta. Rarò una differentia est extra essentiam alterius.

CAUSARUM ACTIVARUM prima est Ignis. Τὸ πυρὸς φύσις ἰδιοπάθας, *verba sunt Eresii libro de igne,* ἔχει δυνάμεις τῶν ἁπλῶν. *Ignis natura omnium simplicium singularibus, maximè peculiaribusque* POTESTATIBUS *est prædita.* *Causarum activarum* 1 *Ignis.*

MATERIA ignis sunt lignum & carbo. Mollia ex abiete & piceâ citius accenduntur, citius extinguuntur. Dura ex quercu, fago, tardius accenduntur, tardius extinguuntur.

AER operationes juvat, ut calidus, frigidus, humidus, siccus. 2. 3.

TERRA additur ☉li in spiritûs destillatione. 4.

MENSTRUUM non datur universale, particulare tantùm. Menstruum solvendo simile est substantiâ & genere, contrarium δυνάμει virtute & actione.

PASSIVÆ causæ laboratorium & furnus.

GLUTEN à Roberto Boile in novis experimentis, no. 10, propalatum egregium est.

℞. *calcis vivæ optimè & subtiliter pulverisatæ,*
Raspatum casei pinguioris medullæ.

In mortario simul cum pistillo contrita irriga modicâ aquâ. Omnibus concorporatis fiat pasta. Tum mistura ingratum naribus exhibet fœtorem.

UTENDI MODUS. Hæc citrà moram, suprà linteum extensa & dispansa dum recens est, applicanda vitro.

LIBER III,
de effectis & operibus chimicis, in specie de liquidis destillatis.

AQUA-